

sum corpus, vel quedam, aut vna duntaxat pars laboret, quid primario, quid secundario, quid propriè, A  
 stabilique affectu ægrotet; quid verò leuius in corpore afficiatur, quive morbi sit ueluti focus; Illud  
 que expendet, an in parte principe, & nobili, vel saltem publicum munus in corpore obeunte, uel po-  
 tuis in his, quæ reguntur ab alijs, nullamque dignitatem obtinent, vel etiam sibi foli seruiunt; an in  
 externis, vel internis, superioribus, uel inferioribus partibus, vbi denique morbus consistat. Acut  
 maneamus in exemplo de febre, age quæramus locum, ubi humores putrescant in febribus intermit-  
 tentibus, an scilicet in habitu corporis, ut vulgus medicorum putat; an potius in venis ipsis (vt nos  
credimus) uel etiam in corde, ut ratio docet. Nam si aliter fieret, urina non posset febrium intermit-  
 tentium tempora docere; si quidem ea, Galeno authore libro quarto de Sanitate tuenda, index est co-  
 citionis, & cruditis humorum, qui in uasis, nequaquam uero eorum, qui in habitu corporis conti-  
 nentur: scribitque in libro de Differentijs febrium sedimentum urinarum esse tanquam cinerem hu-  
 moris ex putredine, & coctione, quæ in uenis fit, derelictum. Temerè preterea in his febribus adhibe-  
 remus remedia, quæ ad obstrunctiones internas faciunt; nec opus esset uenam secare, aut locus illis da- B  
 retur commodior, quando satis esset externos meatus aperire; ex quorum densitate, & constrictio-  
 ne calor in habitu augeretur, & putredo fieret. Ad hæc quomodo fieret uomitus incipiente accessio-  
 ne, aut accessionem ipsam, uniuersamque febrem non solum uomitus, sed alii fluxus, & urinæ  
 copia finirent; quippe quum nequeat alius humor per eas partes euacuari, quam qui in partibus in-  
 ternis, aut in uasis continetur. Nonne & illud quoque accideret aut omnes, aut certè biliosas fe-  
 bres intermitentes, soluta prima accessione, nequaquam redire posse? Si enim ex humore conten-  
 to, putrescenteque in habitu corporis febris nascitur, illeque excutitur præsertim in tertianis in prima  
 accessione, adeo ut nihil relinquatur, quod purum interuum ostendit quænam relinquitur benè af-  
 fectis internis partibus, nouæ accessionis causa, id quoque alia ratione confirmatur, quod id nequeat  
 esse omnibus intermittentibus febribus commune. Nam ut bilis, ob tenuitatem facile per uniuersum  
 corporis habitum spargitur, sic certè pituita, & melancholia ut pote crassi, & uiscidi humoris, nequeut  
 spargi per exigua ea spacia, carnemque ipsam, & illuc putreficere, ut illi uolunt. Quur & lassitudo om- C  
 nes tertianas comitatur, quum ea, quæ vlerosa dicitur, ex humore bilioso per carnem sparsa  
 fieri putetur? quur tumores à pituita illuc contenta in his, qui quotidiana laborant, perpetuò  
 non nascuntur? Sunt & multa alia argumenta, & probationes contra hanc opinionem, ut in  
 opere nostro de febribus aliquando ostendimus: Nec Galenus, aut aliis antiquis author nostræ re-  
 pugnat sententia. Quod verò in febribus putridis nequaquam etiam pestilentibus putrescant humo-  
 res in corde facile probare licet. Nam alioqui sequeretur nunquam posse accendi febrem putridam in  
 cipiente putredinis causa à corde. Demus enim oriri putridam ex ira, aut ab alia cordis perturbatione;  
 quomodo quæso aliter potest fieri putrida hæc febris, quam quod putredo incipiat à corde. Nā quod  
 putrida fiat à vapore putrido ab humore putrescente eleuato, & ad cor perueniente, verum quidem est  
 in his febribus putridis, quæ ex inflammationibus nascuntur: at in alijs, quæ ex obstrunctionibus pro-  
 ueniunt, aut ex cordis affectibus oriuntur, alia excogitanda ratio est, quæ nullo modo constare potest  
 nisi ponamus in humoribus corde contentis putredinem esse. Præterea quum humoris sint in reli- D  
 quis corporis partibus, facilius autem quod calidus est alijs, putreficat: quur reliquarū partium humo-  
 res inuidet putredo: eos uero, qui in corde sunt, haudquaquam attinget? Deinde si febris est tantum  
 modo, quum aliquid præter naturam est calefactum in corde, erit profectò putrida, cum aliquid erit  
 in illo putrefactum. Quomodo enim (quæso) alioqui potest esse febris putrida nulla re putrescente  
 in corde, in quo fons, & locus est febris? Nam ut solidas partes spiritus, & humoris excalefieri oportet,  
 vt, hectica, diaria, vel synocha fiat, sic sanè oportet humoris putreficeri in illo, ut putrida  
 nascatur. Sunt & alia à nobis adductæ in eo opere rationes, quas hoc loco superfluum est adferre:  
 nec aliquid obstat nostræ huic opinioni. Non enim propterea necesse fore omnes putridas pestil-  
 entes fieri; si putredo in corde ponitur, nimirum quod non putredo humorum in hoc, vel illo lo-  
 co pestilentem, aut alterius generis putridam, sed diuersa putredo faciat; quod & alibi ostendi-  
 mus. Nunc verò satis sit obiter docuisse locum putredinis in febribus intermittentibus non esse in  
 habitu corporis ponendum, sed in uasis ipsis, vbi vniuersi humoris continentur. Habent tamen E  
 singulæ febres intermitentes suum focum, à quo scilicet materia suppeditatur apta ad febrium  
 singularum generationem. Atque ex hoc patet uniuersum corpus per febres putridas affici, ma-  
 xime tamen, & præcipue cor, internaque vasa, & febrium singularum focos; reliquas verò par-  
 tes leuius laborare, nec primariò, sed secundariò lædi atque etiam in ipso corde per huiusmodi  
 febres humoris maximè, & primò pati; solidas verò partes minus, & per consensum. Quod exem-  
 plum regula esse poterit ad ea explicanda, quæ in singulis de loco affecto superius adnotanda esse di-  
 ximus. Quæ quidem ad prædicendum euentum mali, & ad remedia idonea excogitanda viam pa-  
 rent, & medicum instruunt.

De